AUTHOR:

JUNGHANS, WILHELM

TITLE:

QUAESTIONUM SOPHOCLEARUM...

PLACE:

LUNEBURGI

DATE:

1849


Master Negative #

92-80480-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



Z8
v.5
Junghans, Wilhelm.
Quaestionum Sophoclearum specimen secundum de Oedipi Colonei oraculis et exsecrationibus ... Luneburgi, ex officina Sterniana, 1849.
8 p. 28 x 22 cm.

"Ex programmate Joannei Luneburgensis."

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 03-11-1992 INITIALS [illegible]
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














Quaestionum Sophoclearum

specimen secundum

De Oedipi Colonei oraculis et exsecrationibus.

Scripsit

GUIL. JUNGHANS,
Rector Joannei Luneburgensis.

Ex programmate Joannei Luneburgensis.

LUNEBURGI.
Ex officina Sterniana.

MDCCCXLIX.

[illegible]

De Oedipo Coloneo qui se profitetur post tot virorum doctorum conamina scripturum aliquid, videri possit actum agere et perdere operam. Verum enimvero habent hoc commune summorum ingeniorum ex omni aetate opera, ut infinitam prope praebeant anquirendi materiem: quam quidem in Oedipo Coloneo haud scio an is maxime auxerit, qui primus ex didascaliis illud multum jactatum postea de *sene* Sophocle, quum illam fabulam in manibus haberet, *dementiae* accusato absolutoque memoriae prodidit. Namque ut fuerunt, qui non nauci illam narrationem facerent, homines severi et austeri, qui siquid deprehenderent in vitis *venustiorum* eximie lepidum venustumve quod mirifice cum intima illorum natura congrueret, sive quem casum ludibriumque fortunae, continuo non esse *factum* illud, sed *fictum* ab aliquo homine otioso commenticiumque clamarent: sic alii, viri graves, tam vehementer illa ipsa narratione commoti sunt, ut non abjudicarent quidem Sophocli hanc fabulam, sed Aeschylo tamen Euripidive quam Sophocli similiorem judicarent, vel aliquid *senile*)* aut *immaturum**)* in ea deprehendisse sibi viderentur. Quorum quamquam reprehensionibus egregie *Reisigius* et *G. Hermannus* responderunt, tamen nescio quo modo nonnihil haeret etiamnunc. Atque unum quidem scrupulum, qui *G. Hermannum*, qui quamquam exacta prope aetate mature multis obiit, et nonneminem alium premebat, de *poetae quadam sui oblivione*, qua nunc Eteoclem nunc Polynicem priorem tenuisse regnum statuerit, eximere epistola ad *virum summum* scripta, quam permittente ipso *R. Klotzius Annalibus***)* suis inseruit, conatus sum. Alium locum longe graviorem de ratione, quae huic fabulae cum statu et Atheniensium et Thebanorum civitatis belloque Thebano intercesserit deque interpolationibus, quas in Thesei oratione v. 919 sqq. et 929 chorique ad Creontem compellatione v. 937 ad expediendas alioquin inexplicabiles difficultates sibi esse statuendas *utrique Hermanni* putaverunt, quum perpurgare hac scriptione decressem, sensi, quum ultimam manum admovere vellem, supellectilis meae defectum. Itaque duo alios locos, necdum satis perpurgatos, unum de *oraculis*, quibus superstructa tota fabula est, de Oedipi *exsecrationibus* alterum interim explicabo, graviorem illum alii occasioni reservaturus.

Oracula quum *tribus* maxime locis in hac fabula commemorentur (nam ea, quibus confidere se primum Oedipus v. 453, tum Polynices v. 1330 dicit, non esse diversa a ceteris, sponte apparet): *primum*, quae in prologo v. 87, postquam agnovit in Eumenidum luco fati sui quasi tesseram, dicit Oedipus sibi data ab Apolline esse: *deinde*, quae v. 354 commoranti sibi Thebis clam Thebanos esse ab Ismena allata dicit: *denique* quod Thebis Athenas ad Oedipum pertulit Ismena: horum ultimum v. 387, quod monet *quaerendum*

---

*) Jacobs Nachtr. zu Sulzer IV, 1, p. 146. Boeckh trag. princ. p. 137.
**) Thiersch acta mon. T. I. p. 322.
***) Supplementband XIV. Hft. 3. p. 408.

Oedipum Thebanis et mortuum et vivum fore salutis caussa propterea quod, si qua injuria ejus sepulcrum affecissent, concitaturi ejus iram essent, apparet Thebanis datum esse *exulante jam Oedipo inter ipsas fratrum discordias, at Polynice nondum ad bellum profecto,* ut falso quibusdam visum est, quia *quod dicit oraculum Ismena ambobus fratribus bene notum fuisse,* verisimile non est, id ad extorrem Polynicem perlatum esse.

De *altero* oraculo quod est v. 355 his verbis:

σὺ δ', ὦ τέκνον, πρόσθεν μὲν ἐξίκου πατρὶ
μαντεῖ' ἄγουσα πάντα Καδμείων λάθρα

haec constare videntur, *primum,* quae inest in dictione *ἐξίκου ἄγουσα perveniendi ad itineris finem* potestas, hanc hoc loco non pertinere ad longinquioris itineris extra Thebas finem, sed significare Ismenam semper *per quaevis interjecta impedimenta impigre ad patrem oracula pertulisse:* nam fuisse Oedipum tum interclusum a ceterorum commercio, apertum ex eo est, quod ceteroquin non hac internunciâ oraculorum filiâ eguisset Oedipus: praecessisse autem unum certe horum oraculorum illud ipsum tempus, quo patria terra expellebatur Oedipus, arguitur arctissimo vinculo, quo annexa haec sunt, quibus haec ipsa expulsio commemoratur, *φύλαξ δέ μου πιστὴ κατέστης, γῆς ὅτ' ἐξηλαυνόμην*: deinde ex eo, quod dicit clam *Thebanos* perlata ad se illa ab Ismena oracula esse, apparere videtur, continuisse ea aliquid quod, si data Thebanis fuerint, interfuerit, ne *Oedipus* resciseeret; sin *Oedipo*, ne *Thebani:* pertinuisse id autem ad *Oedipi corpus mortuum*, satis declarat dictio *ἃ τοὐδ' ἐχρήσθη σώματος.* Pertinuit ad ultima Oedipi fata etiam primum quod secum Athenas attulit oraculum: significat enim, in contermina terra Oedipum post longum tempus requietem malorum inventurum apud reverendas deas ibique calamitosam compositurum vitam, salutem recipientibus, perniciem propulsantibus, ejusque rei certa signa fore: nonne haec ejusmodi sunt, ut *fusius exponere* videantur, quae in altero illo clam ab Ismena ad inclusum Thebis Oedipum perlato *summatim comprehenduntur?* in eaque sententia vidi *Schoellium*)* esse: num etiam *Wunderus* sit, ex ejus annotatione ad Scholion v. 349 exputari nequit. Recte *Schoellius,* si alteram tantum partem oraculi respicimus: at *τὰ πόλλ' ἐκεῖνα κακά,* ut alia taceam, non habebis quo referas, etiamsi concesserim, quod non concedo, significata alterius oraculi verbis v. 355 *ἃ τοὐδ' ἐχρήσθη σώματος* exilii mala mortisque terrores esse: accedit, idque non minimum est, quod prius illud in prologo commemoratum oraculum *repeti ab multo antiquiore tempore videtur* vel propter additum v. 88 *ταύτην ἔλεξε παῦλαν ἐν χρόνῳ μακρῷ,* quum alterum, de Oedipi corpore datum, accedere propius ad *exilii* tempus videatur. Itaque rejicienda haec sententia videtur.

Verum quid, si statuamus Oedipum jam prope finem calamitosae vitae, quum advenisset in lucum Eumenidum, recolere atque repetere mente animoque totum illud tempus, quod interfuit inter infaustum illum Delphorum aditum et hunc Athenas adventum; atque definire illud tanquam tempus, intra quod inclusa dira illa oracula sint, *primum de patre matreque, tum de scelere expiando,* quae fuerit caussa atque origo horrendorum facinorum, quibus quasi expletum illud totum tempus sit; in illudque spatium incidere etiam ultima illa *oracula de ejus corpore quae data sint* atque claudere quodammodo omnem seriem horrorum —

*) Sophocles Leben und Wirken p. 174.

confirmabarque in ea sententia imperfecti *ἐξέχρη* potestate *actionis continuationem* significantis atque ita *per totum illud temporis spatium* pertinentis. Sed mox vidi violentam esse atque iisdem quibus priorem explicationem difficultatibus laborare. Itaque ad *O. Muelleri* redii sententiam, quam esse eandem *C. Fr. Hermanni* ex hujus quaestionibus Oedipodeis vidi, *esse illud in Oedipi Colonei. prologo commemoratum ad vitae exitum quod pertinet non peculiare oraculum neque esse alio datum tempore, quam prius illud cui Oedipi tyranni superstructa actio est, de patre matreque, sed esse prioris partem tantum.* Quam quum sententiam illi duumviri, ut eorum tum ferebat ratio, pronunciaverint tantum, confirmare rationibus conabor simulque ceterorum, quae in hac fabula occurrunt, oraculorum rationem reddere.

Itaque Oedipo de parentibus deum percunctanti non est modo horrendum illud de *paterna caede maternoque matrimonio* datum oraculum, sed ejusdem tanquam *altera pars,* ut non inusitatum est in oraculis, illud simul ad *vitae exitum* quod pertinet. Jam Oedipus, quale effinxit poeta in eo exemplum hominis, in quo prae *νοητικῷ* praevalet *τὸ θυμικόν, primam* tantum partem et ne hanc quidem satis diligenter attendit eique parti poeta fabulam suam de *Oedipo tyranno* superstruxit horroris plenissimam, *alteram* oraculi partem et Oedipus neglexit, et poeta in priore fabula intactam reliquit: itáque homo et rex ceteroquin bonus ac nobilis, prudens etiam ac prope sapiens, at in hoc uno praeceps ac caecus, dum calide judicat, cupide statuit, praepropere agit, in se *concivit,* quod *vitare* studet. Postquam horrenda patravit, horrenda perpessus est; senex caecus, poenitentiae morsibus laceratus degit Thebis: diutius ibi commoratum fuisse, priusquam expelleretur, quum ex aetate *puellarum,* quas *infantes* in fine Oedipi tyranni, *adultas* in Oedipo Coloneo poeta inducit, tum ex *Oedipi verbis* v. 8 *χὠ χρόνος ξυνὼν μακρός* et v. 441 *ἤλαυνέ μ' ἐκ γῆς χρόνιον* colligi potest. Fuisse per totum hoc tempus plerumque inclusum, partim ex edicto, quod dedit Creon sub Oedipi tyranni finem, partim ex ea re conjicere licet, quod *clam* dicit Oedipus sibi ab Ismena illa oracula allata esse: fuisse ejus conditionem ceteroquin tolerabilem, inde apparere videtur, quod, postquam resipiscere rectiusque de se statuere incepit, jam remanere in civitate maluit. Potuit jam illo tempore, dum priorem vitam animo recoleret, in memoriam redigi *alterius* partis oraculi ad vitae *exitum* quae pertinebat, quamquam video hanc esse quaestionem arctissime connexam cum alia quaestione de oraculis, quae sibi *clam* dicit Oedipus ab Ismena allata esse, utrum esse ea ab *Oedipo* an petita a *Thebanis* statuamus. Atque *Oedipo* quidem, nisi statuamus eum jam antea per se ipsum in memoriam veteris oraculi redisse, nulla *justa* petendi *caussa,* (quippe qui jam expletum oraculum in priore fabula putasset atque contentus sua sorte qualicunque esset), fortasse ne *potestas* quidem fuit: contra *Thebanis,* sive quae calamitas inciderat, sive quae cupiditas, fortasse Creontis, fuit vel *religio* vel *religionis praetextus* caussa petendi: necdum petitum illud oraculum erat, quod sibi petendum esse Creon in prioris Oedipi exitu dixerat. Igitur allata *Thebanis* illa oracula videntur, quae porro *Ismena* clam pertulit ad Oedipum. Quae quum et ipsa ad Oedipi ultima fata pertinerent, potuit Oedipus, si non ante, tum certe in prioris oraculi memoriam redigi. Postea civitas publico consilio, instigante, ut videtur, Creonte Oedipum expulit: quam ob caussam, consulto poeta obscuritate pressit. Quae quidem sive stultitia, sive astutia fuit (astutiae arguere Creontem haec verba videntur v. 763 — 64

τί ταῦτα πειρᾷ κἀμὲ δεύτερον θέλεις
ἑλεῖν, ἐν οἷς μάλιστ' ἂν ἀλγοίην ἁλούς)

quum crudelissime in eum consuluissent, qui sibi ipse gravissimas poenas irrogasset, scelus commiserunt, quo deorum iram sibi conciverunt: quam ut averruncarent, denuo consuluerunt deum isque consulentibus jam ultimum dedit oraculum, *quaerendum Thebanis et vivum et mortuum Oedipum fore salutis caussa:* quod oraculum acceperunt Thebani tum quum Polynices nondum ex urbe profugisset. Interim Oedipus post longos errores, quod arguit illud in principio Oedipi Colonei *τὸν πλανήτην Οἰδίπουν*, venit in pagum Colonum, oracula illa secum ferens, auditoque, se advenisse in lucum reverendarum dearum, jam esse hunc praesignificatum sibi a deo requietis locum auguratur. Ibi dum regis adventum exspectat, ecce Ismena afferens nuncium de dissidio fraterno oraculumque de salute cum ipsius sepulcro conjuncta. Quae res ut primum incredibilis ei videtur, ita mox valde eum confirmat in eo, ratum fore, quod filiis imprecatus sit, quum Phoebus hoc ultimum oraculum non minus quam priora illa oracula effecturus videatur v. 453*), eodemque oraculo postea etiam Polynices fidit v. 1331, quum patrem sibi conciliare socium studet.

Ad alterum locum transeo, qui est de Oedipi *exsecrationibus.*

Jam vero Sophoclem non illas respexisse exsecrationes caussasque exsecrationum, quae vel in cyclica, vel in parva Thebaide vel in Aeschyli Sept. v. 705 — 11 et v. 770 — 76 commemorantur, recte in introductione ad Sophoclis Oedipum Coloneum admonuit *Wunderus*, sed non satis idoneis rationibus confirmavit. (*Godofr. Hermannus*, si conjicere ex ejus ad v. 1375 annotatione licet, stetisse a Scholiasta videtur ad cyclicam Thebaidem respiciente). Nimirum in utraque Thebaide et vero etiam apud Aeschylum in Septem adv. Theb. tanta eminet impotentia iracundiae, tanta non solum a temperantia et moderatione, sed etiam ab omni humanitate abhorrens immanitas, ut ea cum illo Oedipo, qualem finxisse sibi Sophoclem post dira a semet ipso sumpta supplicia usque ad exitum Thebis, quum ex Oedipi tyranni fine tum ex Colonei principio apparet, conciliari nullo modo possit: ut videntur in antiquiore fabula multo importuniores ferocioresque Oedipi mores fuisse, cujus rei vestigia quaedam vel in Sophoclis Antigona, fabula Aeschyli tempori proxima, apparent, quum dicit Ismena v. 50 *φρόνησον, πατὴρ ὥς νῷν ἀπεχθὴς δυσκλεής τ' ἀπώλετο*, quod mimine concordat cum ejus quasi apotheosi in Coloneo, et ibidem v. 471 de Antigona chorus: *δηλοῖ τὸ γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρός*, emollivitque postea demum Sophocles *ἠθοποιός* pristinam feritatem ad hoc exemplar omnibus et virtutibus et vitiis praeditae humanitatis, quale in Oedipo tyranno conspicimus. Debuit autem Oedipus, utut male tractatus erat, minime esse impotens animi atque intemperans, postquam intemperantiae tam diras poenas dedisset, sed similis ei, qualem Sophocles in prologo Colonei repraesentat, temperatus, sedatus, malorum diuturnitate et suapte natura se continere paucis edoctus. Is igitur Oedipus, quum v. 1375 dicit

τοιάσδ' ἀρὰς σφῷν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγώ
νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι,

si ad illas quae sunt in utraque Thebaide vel apud Aeschylum exsecrationes respexisset, cum magno pudore recordari simul pristinae suae impotentiae debuisset. Accedit, quod, qui

*) Sanam puto librorum lectionem esse *τῆσδέ τε μαντεῖ' ἀκούων συννοῶν τά τ' ἐξ ἐμοῦ*, *τε* esse subjectum *ὑπερβατῶς* pronomini *τά* judicans, ut accurate inter se respondeant *τῆσδέ τε* et *τά τ' ἐξ ἐμοῦ*.

ipse caussa fuisset dissidiorum fraternorum, neque prius adversus nunciantem Ismenam neque postea adversus Polynicem exprobrare tam vehementer potuisset quae ipse sua intemperantia contraxisset. Itaque de his exsecrationibus jam nemo in Oedipo Coloneo cogitabit.

Fuit *alterum* Oedipo exsecrandi tempus tum (in eaque sententia vidi esse *Wunderum*) quum senex miser, caecus, poenitentiae morsibus maceratus, postquam deferbuisset ira resipuissetque et intellexisset, atrocius in se consuluisse, quam quod commeruisset, tum igitur, quum jam minus sibi irascens atque adeo remanere in patria cupiens repente publico consilio ejectus civitate esset, neque retinentibus neque sublevantibus filiis. Nonne exsecrabile facinus, nonne impii exsecrabilesque filii? Sane, si cupidius judicabimus cupidumque Oedipum ipsum statuemus talem, qualis fuit tum, quum in trivio malitiam caede rependit, vel postea tyrannus innocentissimos Creontem Tiresiamque turpissimae collusionis ad ipsum perdendum atque adeo caedis regiae reum fecit. Verum is Oedipus, qui tam diras inconsiderantiae atque intemperantiae suae poenas dedisset, quemque convenit similem esse ei, quem in tyranni exitu et Colonei initio conspicimus, impetrare a se non poterit, ut filios exsecretur ob nullam aliam caussam, quam quod quieverunt. Praeterea damnat idem hanc atque priorem sententiam (idque maximum est) quod, si Oedipus jam tum, quum patria expellebatur, illas, quas commemorat v. 1375, filiis diras imprecatus esset, non posset exprobrare filiis fraterna dissidia atque cetera, quae suis ipse exsecrationibus filiis concivisset. Itaque fuit Oedipo Sophocleo neque haec, quum expelleretur, justa exsecrandi caussa. Etiam *C. Fr. Hermannus*, quantum meminisse mihi videor ex semel usurpatis ejus doctissimis quaestionibus Oedipodeis (ignoscat forsan erranti), retulit exsecrationes Oedipi ad profectionem. *Welckerus**) quod tempus exsecrationum statuerit, quum dicit *da er bei Sophokles vor dem Kampfe scheidet und jetzt erst den Fluch ausspricht*, ex nimis late patente verbo *jetzt* satis certo intelligi nequit: certe, aliud atque *profectionis* tempus respexisse, apparere ex allegato v. 417 videtur. Quo autem loco astruere fidem sententiae suae *Wunderus* conatur v. 1299 — 1300

τὴν σὴν Ἐρινὺν αἰτίαν εἶναι λέγω·
ἔπειτα κἀπὸ μαντέων ταύτῃ κλύων,

non videtur Polynices eo loco verbis *τὴν σὴν Ἐρινύν* significare *certas ab Oedipo in filios invocatas diras*, sed *deam aliquam ultricem, Oedipi naturae divinitus injunctam, qua agitetur ipse et agitet suos, qua et sibi immissa esse fraterna de regno dissidia opinatur*, in quam sententiam v. 371 Ismena dicit, *prius abstinere voluisse regno σκοποῦντας τὴν πάλαι γένους φθοράν, at postea regni amorem cepisse ἐκ θέων του κἀξ ἀλιτήρου φρενός*, in eandemque sententiam Oedipus v. 421 dicit *τὴν πεπρωμένην ἔριν.*

Quae quum ita sint, jam *aliud* exsecrandi tempus circumspicienti nullum sese offeret aptius, quam illud, *quum in Colono ipso prope lucum Furiarum ab Ismena cognovit, esse novum Thebanis allatum de ipso vel vivo vel mortuo retinendo oraculum idque notum filiis fuisse neque quidquam fecisse ad ipsum sine fraude recuperandum*, sed potiora habuisse raterna de regno dissidia, alterum profugum externa arma contra patriam comparasse, lterum domi manere atque paternum solium tenere neque intercedere, quominus *subdole* ives arripere suum auxilium studerent, patrem procul a patrio solo habere. Jam alia res

*) Griech. Trag. II, 2. p. 561.

est: jam se detexerunt atque patefecerunt filiorum mores, non omiserunt solum pietatis officium, sed commiserunt exsecrabile facinus: jam introspexit eorum animos, nullum videt in iis desiderium patris, contra flagrantissima odia fraterna, nullam curam patriae: sunt igitur non solum impii filii, sed etiam mali fratres, improbi cives: itaque nunc si Oedipus exsecratur filios, ne regni sui fructum percipiant, et postea v. 1375 respicit repetitque atque exaggerat hanc exsecrationem

τοιάςδ' ἀρὰς σφῷν πρόσθε τ' ἐξανῆκ' ἐγώ
νῦν τ' ἀνακαλοῦμαι ξυμμάχους ἐλθεῖν ἐμοί,

non suam solum irascitur vicem, sed altius assurgit augustioremque quasi gerit personam, tanquam deus ultor vindicat omnium malorum filiorum impietatem *ἵν' ἀξιῶτον τοὺς φυτεύσαντας σέβειν.* Quo non id efficere studui, ut Oedipum Coloneum tanquam perfectae absolutaeque humanitatis exemplar constituerem (quod nec Sophocles voluit); sed conciliasse tamen singula ejus dicta factaque et cum rerum natura et cum ea Oedipi persona videor, qualem adumbratam in utraque fabula videmus. Restat, ut verbo moneam, illud *πρόσθεν* ad priorem ejusdem fabulae locum respiciens non facile quemquam offendere posse.